AD CVRIAM PARLAMENTI SVPER Henrici Magni parricidali nece,

ORATIO

E GALLICO IN LATINVM ſermonem reddita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

M. DC. XII.

AD CVRIAM PARLAMENTI SVPER HENRICI MAGNI PARRICIDALI NECE,

ORATIO E GALLICO IN Latinum ſermonem verſa.

ERGONE Regem amiſimus noſtrum? Quos tulit Francia, quos vidit Europa, quingentis ab hinc annis, Regum maximum, qui per totum huius regni corpus vitalem cordis inſtar ſpiritum minimas ad vſque fibras, in alias verò Reſpublicas, calorem vigorémque diffundebat, & impertiebatur, piaculari nefandi parricidæ cultro confoſſum, nō alia ſuppetet ad parētandum, quàm vile ſupplicium victima? Num noſtrum in dedecus narrabuntur iſta poſteris? Síccine noſtram in perniciem noſtro ferentur ſeculo? At vos Regij Parlamenti Senatores, qui ſuum illi, qui veſtrū ius vobis reddere tenemini, in his ſtabitis? Qui abſtruſiſſimarum rerum caliginem prudentię penetratis acumine in euidentiſſimo facinore re-

tundemini.Ictus prodigioſi disquiritis authores.ferrum Rauaillaci, Rauaillacum aliorum inſtrumentum fuiſſe,qui induxêre,inſtruxêre, impulêre, mucronem dextræ animo parricidium indidêre,nimis liquet.Quòd ſi totius orbis Chriſtiani conſentientibus ſuffragiis, non alij quàm Ieſuitæ,aut Ieſuitarum diſcipuli,tot retrò lapſis antè ſeculis, tanti deprehenduntur criminis capaces, non alij tantæ culpæ conſcij deprehenſi,quinam ſcribendi ſint authores diuinando,aut coniectando laborabitis? Noſtra videlicet ætate regibus Chriſtianis ſiçarij reuixerunt *Aſſaßini*, Saracenorum reliquiæ, Maurorum ſoboles, qui hanc rem libris agunt, in ſcholis profitentur, in methodum & artem compingunt, in eam ſuis homines myſteriis, meditationibus,conſecrationibus,execrationibus initiant,erudiúntque,non aliis gloriantur geſtis,non aliis inſigniuntur miraculis.Qui ſemel malus eſſe deprehenditur,vt iubent veſtræ leges, in eodem noxæ genere ſemper eſſe præſumitur. Cùm igitur Emanuel Sa Ieſuita in Confeſſorum inſtitutione licere Regem ſuum occidere decernat, Clericos omnes naturalis Principis eximat imperio,ac proinde, vt de criminis & de ſupplicij grauitate aliquid in omnem euentum detrahat, læſæ Maieſtatis vllo pacto crimen incurrere poſſe neget. Cùm Iohannes Mariana,cui plus hoc in negotio & artis & audaciæ,progrediatur vlteriùs, non licere modò, ſed & fas eſſe Principi necē intētare, modò viri eruditi & graues,fortè ex ipſa socie-

Iohan.Mariana de Inſtitutione regia. lib. 1. cap. 5.7.

tate

te, aut de Viſitatoris ſententia lecti, in conſilium adhibeantur, cenſeat: ſiue proditione, dolo, ſeu veneno res geratur: quin & noxij medicamenti genera enumeret, lentum, præſentaneum, in cibo, potu, in donorum miſſorum contactu, vt quondam Mauri reges oppreſſere, in veſtis, ſellæ, linteorum, armorũ, ephippiorum, ocrearum infectione. Quòd ſi in exequendo facinore occumbit ſicarius, *gratam ſuperis, gratam hominibus hoſtiam cadere* ſcribat. Qui libri non temerè neophytis excidêre, nam Emanuel Sa annorũ quadraginta ſpatio digeſtum à ſe librum in præfatione fatetur, ſolemne Patrum Confeſſorum enchiridion. Cuius author tãtæ ſanctitatis habetur, vt ideò Maria Virgo, & Pater Ignatius apparuiſſe moriẽti dicantur. Iohannis autem Marianæ liber in librorum Societatis catalogo à P. Petro Ribadeneira edito anno 1608. cum operis & authoris elogio recenſetur. Quem excellentis iudicij, admirabilis eruditionis, theologię profũdę, quam Romæ, in Sicilia & Lutetiæ docuit, titulis commendat. Vterque cum priuilegiis & authenticis ſuperiorum approbationibus, illic Antuerpiæ, hic Toleti & Moguntiæ excuſus. At hic, ad grauiora quippe deſtinatus, accuratior, limatior, ad ſanctiorem authoritatem, pluribus teſtimoniis in fronte munitus, Cenſuram præferens Regis Hiſp. authoritate à Petro Onna Prouinciali factam, facultatem imprimendi à Stephano Hoïeda Societatis Ieſu in Prouincia Toletana Viſitatore (idque vi po-

Petrus Ribadeneira in catalogo pag. 55.

Idem pag. 141.

teſtatis ſpecialis à Patre generali illo celeberrimo Claudio Aquauiua factę) concesſam, qui
Idem pag. 44. librum à viris eruditis & grauibus ex eodē ordine dicit approbatum. Ecquis ampliùs hæret ſcrupulus, Iudices? Qua in officina conflatum, vbi procuſum ſit ferrum? Quid, quod annis ab hinc triginta huius Ordinis ſectarij multorum in orbe Chriſtiano Principum capita, quorundam etiam cum euentu impetiiſſe, nouiſſimè autem puluerariæ coniurationis in Anglia machinatores fuiſſe conuincuntur: qua eodem temporis momento Rex, Regina, Principes, omnes regni Proceres in Concilium Ordinum coacti, innùmerus hominum numerus, Reip. denique ſumma, citra exceptionem, citra religionis vllam diſtinctionem, vt ex vtraque non pauci mixtim conuenerant, horribili diſploſione in aëra diſiecti lacerarentur. Cuius Pater Garnetus Ieſuitarum Prouincialis in Anglia, vtvt æquiuocationis fallere conaretur ambagibus, conſciorum teſtimonio, quin & propria confeſſione Auctor, Director, & ni præuentum fuiſſet ope diuina, Peractor manifeſtò arguitur. Hunc ipſum illi, quòd tam arduum facinus aggreſſus, totam quantum fuiſſet in ipſo, hauſiſſet Rempublicam, ſexcentis afficiendum ſuppliciis Sanctum renuntiarunt, & in album retulêre ſuorum martyrum. Quo decoratum encomio, impreſſum & inſculptum venundedêre, atq; poſterorum conſignarunt memoriæ. Quis etiamnum dubitat, quin parricidalis ſecta per hypócriſeos cuniculos, hūc egerit cuniculum,

lum, ni fratrũ diſpoſuerit pulverẽ, ignẽ pararit, quæ tãto incendiariũ muneratur præmio, quæ Satanæ martyrem Angeli manu coronat? Si tales Martyres, quales Angeli? Sed propiùs gradum conferamus. Quum adhuc Cardinalem Bellarminum, ſectæ Coriphæum, catholicum Ieſuitarum Doctorem parricidium à Iacobo Clemente in Henrici III. perſona patratum ex profeſſo laudantem accenſetis, quod Iohannes Mariana à maiore vi vires animúmq; non adeò robuſti iuuenis confirmante profectum dicere non eſt veritus, quib. dictis, ferrum herbis noxiis, vt ipſe author eſt, medicatum conſecrat. Quod poſt illum Ribadeneira, Beccanus, Vaſques, Bonartius, & complures alij factitauêre. Quum libri à Pariſiẽſib. Ieſuitis de iuſta expulſione Henrici III. continuò poſt parricidiũ cõſcripti præfationem cerniris profiteri, in cauſa cõmuni fas eſſe Regẽ Henricum IIII. excludere & deturbare. Iuxta quod mõſtroſum decretum non hoſtes vlli, nõ inſidiæ in Magni Regis caput ſtructæ, quin interfuerit, imò præfuerit Ieſuita, quod in cauſa Iohannis Caſtelli, cùm mucronẽ dentiũ retudit occurſus, enituit, cùm illum à P. Iohãne Guereto & execrãdis Iohãnis Guignardi theſibus, quos idcirco tota cũ Societate illuſtriſſima dãnaſtis ſentẽtia, per lectiones, & cõfeſſiones ad ictum inductũ, inſtructúmq; fuiſſe agnouiſtis & conuiciſtis. Num aliud expectatis argumentum? num alios teſtes? num quid ex eodem Tribunali ſententia manauit & executio, ex eadem conſpiratione conſilium & cædes? Adiicite, quòd importunè procurata

pyramidis & ſententiæ in caſtellum latæ euerſione paucis antè menſibus, vt in Arreſtũ Romana cenſura animaduerteret, inſtiterunt,ac proinde ſummæ authoritati notam conati ſunt inurere. Quamobrem verò? niſi quia complices, qui potiùs tantum magis magíſque deteſtari nefas, ac deteſtando innocentiam teſtari debuerant? Quamobrem adeò intempeſtiua cõſectatio, niſi ad iuriſdictionis veſtræ Maieſtatem ſuperioris obtentu poteſtatis infringendã & exarmãdam? Acceſſit myſtica Martyrum illorum ſuorum tabula Romæ inciſa, apud nos oſtentata, in qua glorioſis Patribus Guereto & Guignardo, Caſtelli Præceptoribus, Doctoribus,Confeſſoribus,propter criminis eiuſdem ſocietatem mulctatis,ſuam ſtatuunt vnicuique ἱεροθήκην. Cui bono iſta quæſo? niſi firmando brachio, dirigendo parricidæ ictui? imaginaria ſaltem aduerſus ignominiã ſupplicij conſolatione ſuſtinendo,dum Garneto,Guereto, Guignardo eriguntur effigies? Quùm poſt trimeſtre, dum rex noſter iniuriam cenſura Romæ illatam ſarciri poſtulat, Franciæ lethalem ictũ videtis incumbere. Vnde in nos, vnde in ſacrũ caput,tot totiéſque ipſorum dolis petitum, irruere, niſi ex eadem techna & coniuratione cenſeatur?

Verùm luculentius aliquod optatis in hac cauſa teſtimonium. Vtinam non tam quidem in conſcientiæ veſtræ,quàm in noſtræ ſcientiæ gratiam ſuppeditarentur. Illos tamen, qui de induſtria deterrimos mortalium verſant, vbi

confeſ-

confeſſionibus, fœda, enormia, inceſta Sodomitica ac bruta retexêre peccata, hiantem oſtẽtare orcum & iamiam deuoratura tartara, mox redemptionem, ſi hunc aut illum perimant, quin paradiſum, Angelorúmque choros polliceri, contrà dira inferorum ſine ſpe veniæ ſupplicia, & duplicatos gehennæ cruciatus, ſi rẽ indicent, interminari non ignoratis. Qua fit ratione, vt aduerſus tormenta rigeſcant, & ſuperſtitionis indurati cauterio carminibus muniti, penitus omnem bonę conſcientię ſenſum exuant. At ſceleſtus ille, nunquid ſatis ſupérque cauſam aperuit, cùm videlicet eò ſeſe aduentus & Quadrageſimę nouiſſimæ ſermonib. impulſum faſſus eſt: quorum verò niſi Ieſuitarũ, qui ex âbone ſeditionẽ ebuccinabât, ac per vrbis accendebant compita, plebanorum linguas, ſi faciles præbuiſſent aures, conducturi? Cui voces exciderunt illæ, quas noſtris, immò regiis auribus corá intonabât? Quũ illũ interrogaſtis cætera brutiſſimũ & imperitiſſimum hac vna in cauſa peritiſſimũ, omnib. exceptionib. & effugiis inſtructiſſimũ nũquid deprehẽdiſtis? dicta, ſenſa cum Caſtellanis nomine tenus eadem, ab iiſdem igitur hominibus iiſdem imbutum dogmatis? Qui præter has viperas hierophantæ? paucis ſiquidem antè diebus P. Aubinio ad magnum ſeſe accingi facinus indicarat, cultrum oſtenderat, inſculptique cordis, & impreſſę in cuſpide crucis ad negotij fœlicem exitum allegoriam expoſuerat. Serióne an ioco obtentam confeſſiones obliuioni

tradendi gratiam ad eludendum veſtræ interrogationis robur,interpretabimini?Qui authores?iuxta Marianæ placitum, graues & eruditi patres ſaltem conſilium Viſitatoris Prouinciæ non defuerit, cùm à teneris vnguiculis inter Ieſuitas fuerit educatus. Quum aduerſus totam ſocietatem & coniurationem ſentẽtiam tuliſtis, quæ aderant præter hæc fundamẽta? Queis is ampliùs opus eſt,cùm actus iterati, geminati damno noſtro ictus, Principis in capite, annon hæc apud ipſos in legem trãſiiſſe,in rem iudicatam, in partem Canonici iuris & regulæ veniſſe in habitum & naturã vertiſſe, axiomata declarant? Non alios nimirum decebat Regis cor per Rauaillacum trãsfodere,quàm eos,qui perCaſtellum oris ſeptum temerauerant, qui paulò antè per Barrerium nihil erant aſſecuti. Iiſdem ſub magiſtris, eadem in ſchola,eadem doctrina, manus ictúſque tẽpore confirmarunt.Quapropter horum alterutrum fatendum, aut Ieſuitæ Rauaillaci totidem ſunt, aut Rauaillacus eſt Ieſuita. Ieſuitæ Rauaillaci anima, Ieſuitarum Rauaillacus organum. Hoc loco diſentes audio. Si hoc ex ſimplicitate eſt,ignoſco,at boni viri, cui bono id eſsẽt machinati?Adeò accepti & grati Regi. In eos rex tam munificus. En P. Coto Protectorem alterúmque ſui ordinis Inſtitutorem appellitat. Imò hoc tenete, atras haſce animas mordicus ſocietatis ſuæ quocunque bono delineãtur ſcopo infixas eſſe,vt inde nũquã auelli

queant,

queant, hæc peſtis, ceu deleterium medicorũ, quaqua ratione temperetur, malignitatem nũquam temperat: Sectæ verò inſtitutore Hiſpano, Nauarreno proditore, perfido, abnegatore: ſcopus nõ alius fuit quàm Hiſpanicæ Monarchiæ magnitudo. Hoc fermento tota tumeſcit, aceſcit quoquò vertatur maſſa. Non ſi Francia ſeſe fruſtillatim dedat, mutent. Proprium correx dederat, ſuum illi ſeruant ſempérque Hiſpaniç reſeruant. Teſtes vultis? Quis adulando, quis adorando Regem fũctum P. Cotoni par? Ob oculos ponite productas & in obſequium demiſſas ſalutationes, compoſitos in profundam humilitatem, affectatósq; geſtus cum ſupercilij motibus effictos riſus. Atat eodem illo tẽpore in exiſtimationis regię & boni publici detrimentum, quas mittebat in Hiſpaniam litteras? quæ ſcribebat conſilia? Quid ſupplementa legionum ad expeditionem Cliuenſem conſcribentibus Ducibus, in aurem, cum peccata confiterentur, inſtillabant Ieſuitæ Burdegalenſes? Eadem nempe quæ pro concione auſus eſt profiteri Gonterius: aduerſus catholicos arma ferri, ſalua id fieri non poſſe conſciẽtiæ, tela quę iacerent in aduerſos, cor Domini noſtri petitura, quippe qui pro catholico præter Regem Hiſpaniarum catholicum nihil agnoſcunt, neque Germanos ſuo ducunt idiomate catholicos, qui venenati catholiciſmi in patriæ perniciem ſuccum non imbiberunt. Ne altiùs eſcendamus Ie-

ſuitæ duo, qui E. T. Caſtreum cùm iamiam ad ductandũ exercitum proficiſceretur, conuenerunt, nunquid religione expeditionem morari nitebantur, & atroci damnationis deterrebant ſententia? Quòd ſi eò deuenerunt impudentiæ, vt tanto támque valido teſte rem comprobatam negare ſuſtineant, quis non eos arguat mendacij? Certè execrabili ictu de regis incepto actum eſſe autumabant. Vbi magnanimam Reginam operi inſtare vident, quò calamitati noſtræ ſuperſit armorum terror, vt in re deplorata conſuetas repetũt artes: ac cùm pietate deſtituti ſint, audientes ſuperſtitione complent, & vanis circumagere terriculamentis, atque inani religionis ſpectro nos circumuenire conantur. Qui regni limitem aduerſus exundationem hoſtium munit, firmat Rẽpubl. fœderibus, veteres amicos & huic regno, quia & vtrique Coronæ, iuxta Veruinenſe pactum, ſœderatos tuetur, non modò ad hæreſim accedit, ſed cœlum, ſi bonis viris credimus, arietat, atque Euangelium totis viribus oppugnat. Rex verò Hiſpaniarum fato functus quàm diſpari ſorte habitus ſit, aduertite, cùm Henricum III. fratrem, qui eandem cum ipſo profitebatur religionem, & multò quàm ipſe ſacris erat addictior, in proprio ipſius adoritur regno, Proceres, Principéſque in ipſum vrbes, ad tumultus & rebelliones concitat, Chriſtianiſſimè catholiciſſimè agere exiſtimatur. Quiſquis in eiuſmodi occumberet expeditione, martyr pronun-

pronunciatur, opus non ſimplex meritum, ſed ſupererogatorium iudicatur. Aliud quæritis argumentum? Dicant Ieſuitæ, cùm Rex vita nouiſſimè functus, à Pontifice abdicatus, hæreticus, relapſus, vt loquuntur, Rex Nauarræ pro ſua dimicaret religione: quò zelus ipſorũ parricidalis abierat? Toto illo quindecim annorum circiter decurſu nulli comperiuntur in ipſius vitam machinati. Etenim cùm idoneum fouendis bellis ciuilibus illum arbitrarentur, breui fore ſperabant, vt regni viribus attritis inter Reipub. ruinas diuturno tandem incendio, redigeretur in cineres. Simul atque Galliæ potitum ſceptro, ac religione mutata ad eam, cuius ſe iactitant eſſe columnas, vident accedere, qua ratione imperio ſuo pacem, humanitùs loquendo, conciliabat, Hiſpano verò formidinem incutiebat, tum excitatus zelus, commorſque animi, Barrerios, Caſtellos, & quot eius farinæ monſtra ante lucem oppreſſa, ſuſcitarũt. Ita demũ dum rerum potens euaſit, mucrones acuerunt, procuderunt, dolos fortiùs ſtrictiúſque nexuerunt. Si mouebat religionis cauſa, quare nõ aduerſus excõmunicatũ & hæreticũ pronũtiatũ mouebantur? Cur ſolũmodò tum cùm ſe Catholicum profeſſus eſt, cùm talem confeſſi ſunt? Adde quod adeò ſunt perfrictæ frontis, vt nobis aduerſus ſicariorum periculum fidei ſuæ cautionem polliceantur, modò ex animo catholiciſſemus: mox vt cauſam inuertant, iuſtámque, quam in ſua traxe-

re capita, vindictam declinent, in Huguenottos debacchantur, & vltima delendos internecione prædicant. Vtique ſi forent Hiſpani, ſi in Hiſpanos verti poſſent, eorum ſtudiis obſequi, libris cruentis ſubſcribere, quid velim ſatis intelligunt, ilicò purgaſſent hæreſeos crimen, neque deeſſent commodæ rationes, quibus Catholici viderentur, quin & ſacrum in vſum eorum dicarentur arma. Importunis clamoribus præter vnicam in regno Franciæ religionem tolerari nefas eſſe crepant: qui tamen initam ab Hiſpano cum Ordinibus in Miſſæ, Eccleſiæ & Pontificis detrimentum, pacem, ſi hoc ſinit illa Theologia, non improbant. Quin & ad illam conſiliandam miniſtri fuêre nedum vt intercederent? Quid cauſę eſt quod concionum permiſſus ad regni tranquillitatem regibus noſtris prohibetur, cùm ſartam tectam religionem & authoritatem Pontificiam ſeruent? Cur eadem res in noſtra cauſa multò tamen fauorabilior, Hiſpano merus catholiciſmus eſt, Regibus verò noſtris hæreſis? Tandem poſt hanc cladem tanquam ad conſolationem tam facili negotio extirpari Huguenottos, quàm ientaculum abſumi poſſe iactitant. Vt ſuo ſint iſta capiti, primo bolo ſtrãgulẽtur precor. Quid etenim quęſo ad ipſos perdendos reliqui fecimus? ne noſtrũ quidem exitiũ. Quis eadẽ ex officina hoc proferri ſolatium non videat? Hoc illud ſcilicet exoptant, vt eodem quo noſtrum Caput violauêre ferro,

ad

ad conſilij ſui & lætitiæ complementum, pe-
ctus noſtrum tranſuerberemus. Certè Hu-
guenotti qui vocantur, Affines nullo modo
ipſorum criminibus comperiuntur eſſe. Eos
olim igne ac ferro perſecuti ſumus tam ſæuè
vt iam horrorem incutiat recordatio, in ex-
tremis tamen anguſtiis & acerbiſſimo dolo-
re poſitos quis in Capita Regum Caroli IX.
& Henrici III. molientes aduertit?
Quis detulit? quis ſuſpicatus eſt? quis vel
calumniatus eſt? Contrà ſimulatque Hen-
ricum in extremum diſcrimen, Hoſtium
externorum & domeſticorum vi coniectum
agnouêre, vulneribus, quæ nos intulera-
mus, inrati, cùm ex infortunio noſtro ſuum
potuiſſent captare commodum, nunquid o-
pem ferentes arma armis ſociauêre? Vnde vt
eſt in confeſſo, Reipublicæ ſalus. At homi-
num fera natio, quæ Principes noſtros inter
blandimenta ferro transfodit, quæ ad cultrum
nonniſi in cædes ferendum voto ſeſe obſtrin-
xit, ac paradiſi viam roganti parricidalem,
ceu compendioſiſſimam monſtrat, num ho-
die ad popularium, vicinorum, amicorum, a-
gnatorum, fratrum qui noſtra caro ſunt &
ſanguis, qui vulneri noſtro medicinã ferentes
aduolant, excidium excitare nos audet? Vſque,
adeóne, bardos & hebetes nos eſſe boni vi-
ri cenſent, vt dolum malum ſubeſſe non
intelligamus? Baſilicam & Cephalicam a-
peruiſſe (vt à verbis P. Guignardi non diſce-

dam)non contenti,Hæreticæ incidendæ ſpecie venas arteriáſque, immò Catholicam ipſam diſſecare annituntur. Quî non vtrinque ſanguis effluat? Quî non vterque alter alterius iniuria contubeſcat ac pereat?

Interea proh dolor! non ſine grauiſſimo omniũ,quib. eſt cor verè Gallicum,gemitu,Cor noſtrũ auferunt,qua tanta ex impudẽtia in nos pudor,probrúmque. Quid,quòd impetraturi, prout vbiq. myſteria ſectãtur,myſtico XXXI. numero conueniunt: quippe qui iam ſeſe in hac alea ſuperiores, vtpote voti compotes, arbitrantur. Quem in vſum? niſi ad ſtatuendum de ſimplicitate,immò ſtultitia noſtra trophæũ, fortitudinis v.ſuæ monimentum? Quo id iure? niſi & quo iaculantes vtuntur, vt qui ſignum in ſcopi centro poſitum attigerit, eo potiatur? Nam ſi quæritis,quænam ſint illi iuſta Flexiæ perſoluta, vix puræ Latinitatis apex in eius gratiam. Nam quod genuino gallici candore ſermonis homines alieni carent, non demiramur.Nihil tam frigidum,nihil tam inſipidũ, adeò lætitia mortis, cædis gloria ſanctos viros abſorpſerat, vt deſideria in luctu communi & encomia vitæ debita obliuiſcerentur. Téne ô infelix, qui hanc palmam, hanc voluptatem ipſis, perpetuum & immortale Franciæ probrum procuraſti,orationi meæ ſubtrahas?Cùm te in ea, quam profitebaris, arte, Protectorem, Productorem ſeligerent, cùm hypocritæ ſanctitatis laruæ,manè,veſperi, vt tuam captarent gratiam,

gratiam, modis quibuſlibet te colere nō inter-mitterent, vt reuocato Senatus Principis edi-cto, quod Dominus tuus ore cruento ſanxerat, in hoc regnum reuocarentur, cùm tam viliter & turpiter pudorē ſuū infamiæ tuæ proſtituerent, p̄ſternerēt, nū animū inducere potuiſti, ſi tātillū ingenij tibi largita erat aula, vt hæc bona fide, bono animo fieri crederes, cùm palàm homines ſuperbiſſimi tanto pudoris impendio nonniſi peſtem & exitium noſtrum emturi eſſent? Quòd ſi tantum tibi non adeſt animi, vt mœrore conficiaris, quid ceſſas ceruicem reſti vinctus, humi proſtratus, ſordidatus, venię gratiam & iuſtitiæ fidem imploraturus genibus Senatus aduolui? *Veniæ gratiam*, quòd adeò obbrutueris, vt tantùm in Regum cauſa, contra leges, tu homo nihili, bipedum ignariſſime, de indebito fauore præſumpſeris, *Iuſtitiæ fidem* aduerſus homines, qui te faſcinatum in parricidij Domini tui ſocietatem traxerunt, Domini, qui te de cœno ſublatum vt immoderatiſſimè, ſic immeritiſſimū (niſi tu meliora poſthac) locupletauerat.

Verum fortè P. Cotonis Declaratio ſuſpiciones abſterſerit. Excutiēdā Abbati & Curionibus noſtris qui melius hæc norunt, relinquo. Attamen oculos in eam in tranſcurſu coniiciamus, etſi longè alia erat eius facies, antequam Amp. D. Cancellarius pro ſua prudentia illam emēdari curaſſet. Cùm celebris Doctoris Ioan. Marianæ liber nil niſi venena & ſicas ſpirantis Ieſuitis obiectetur malum reuera fatetur eſſe li-

brum: Non validiorem ſubminiſtrabant ad libri deteſtationē lexica Ieſuitica vocem? Quòd ſi vix aperto loquitur ore, quid de cordis exiſtimatione linquit æſtimandum? Alio loco hiantis & malè parati calami leuitatem vocat, an quæſitum hæ ſoluunt argutiolæ? cùm execrabilis doctrina, quæ iam ſeptemdecim annos ſine controuerſia graſſatur, parricidarum ſicas in Principes noſtros acuat? At, vnius Marianæ cauſa totam ſocietatem plecti, quæ iubet ęquitas? quæ ſuadet charitas? Imò tota & loquitur & peccat in vno ſocietas. Namque ex teſtimoniis adnexis doctiſſimos & grauiſſimos viros Prouincialē ac Viſitatorē legiſſe ac probaſſe librum conſtat, quibus approbatus Generalis mandato excuſus eſt, vt totius ſocietatis natiuus partus agnoſcatur, quæ formulæ, quæ τεκμήρια deſiderantur ampliùs? Rurſus non vnicū Marianam, ſed omnes eodem ſtilo Ieſuitas ſcripſiſſe liquet. hoc Apoſtolatu omnes omnium regionum Ieſuitæ ſunt defuncti, hoc promulgarunt euāgelium Emanuel Sa Luſitanus, Gabriel Vaſques, Petrus Ribadeneira Hiſpani, Martinus Becanus, & Nicolaus Bonarſius Germani, Iohannes Guignardus & apologiæ Caſtelli authores Galli. Rob. Bellarminus Italus. Creſvvellus Anglus, ac complures alij in Regum, ac Principum capitibus in Gallia, in Anglia, in Belgio, quin & in Tranſyluania, cùm vnicus ſupereſſet ſectarius, adeò hoc deleteriū peſtilens eſt & ſepticū, ſunt executi. Quin Pragæ, Madriti, Bruxellis nuntiabatur vt hoc legati

Petrus Ribadeneira li. 1. de Principe c. 18. pa. 107. & c. 26. pag. 172. & ſeqq.

Creſuuell. in Philopa. de ſect. 2. num. 157. 161. 162.

gati confirmarunt , calamitatis noſtræ caſus priùs quàm eueniſſet : quod non aliunde eſt, quàm à nefario ſocietatis commercio. Vt totum Corpus in rem vnam conſpirare probetur,vnde efficaciora , quàm ex omnibus partibus ducantur argumenta?Ex validiſſimis , grauiſſimis, Theologis Doctoribus, Prouincialibus , Generalibus , Cardinalibus, & ſuis illis Martyribus? Quicquid ad hæc regerit tam exile, tam leue , tam ambiguum eſt , & oretenus muſſitatum , vt nemo non animaduertat vſurpari, quam Doctor Nauarrus tradidit, Æquiuocatione fallendi doctrinam: *At verò nos, inquit,in conuentu noſtro Prouinciali Pariſiis anno 1606. habito aſſenſum calamo huic malè parato negauimus. Quin & apud ſocietatis noſtræ Generalem vt iis,qui in præiudicium Franciæ Coronæ ſcripſiſſent, repreſſis, etiam libri ſupprimerentur, inſtitimus.* Attendite Patres , poſt annos quindecim , poſtquam in venas ſenſim ſeſe peſtis inſinuauit adfertur medela. At vbi anathema in nefandum librum & huic ſimiles fulminatum? Quis hactenus vel fando quicquam inaudiuerat,donec demum noſtri Curiones librum in homiliis ad populum examinis appendere cœperunt equuleo? Porrò quamobrem notatũ cenſura arbitramini?idcirco nimirum,quoniã crudè & horridè nimis arcanum expreſſit.Hoc non aliud eſt ſanè,quàm,quod à Rauaillaco factum,cultrum poſt patratum facinus abiicere, librum poſtquam illos per totam Europam animos inuaſit incendium,dare flammis vltricibus. At nunquid Reginę præclarè fidem ſuam

profitetur.Conſtãtienſis Concilij decretis ſubſcribit.Factum benè. Imò hoc doli caput eſt: Modò finem ſuum aſſequantur, & dictu & factu licet fallere, religionem & regulam largiri fas eſt.Qui hoc apud mercatores vteretur iure,omni penitus abdicaretur commercio.Nos verò adeò cæcutimus, vt noſmetipſos præſtigiatoribus venales dedamus.

Card.Tollet inſtru. ſacerdot.li. 4.c.21.

Cardinalem Toletum à Cotone laudatum audiamus:Sic in Inſtructione ſacerdotũ ſacerdotes inſtruit, *Qui petitus à ſuperiore iurat,poteſt vti æquiuocatione, & iurare ſecundum propriam mentem contra mentem iudicis.* Imò interrogatus de crimine ſibi noto vel proprio *vtatur æquiuocatione, puta neſcio, intelligendo intra ſe,vt dicam tibi,*nõ feci intelligendo nunc.

Syluan.in Phillipica pag.5.

Gregor.de Valẽt.tom. 3.diſp.5 q. 13. de reg. puncto. 1. & 2.

Acta proceſſ. Garnets pag. 97. & 117.

Mart.Nauar. in ca. humanæ aures, 12. q.15.

Itidem Syluanus,*In ſimili caſu æquiuocationibus & verbis ambiguis ad fallendos audientes vti licet,ſi is qui interrogat non eſt ſuperior aut iudex.* Atque ſeculari iudici, imò naturali Principi ſubditum non eſſe Clericum fundaméti inſtar ſubſtrauerũt. Quæ igitur horum iuraméto habenda fides?Ne dum dicto.Stabitúrne boni Patris teſtimonio ſpontaneo?Gregorius de Valẽtia,quem virum præcellentis eruditionis, ſuffragantibus, Italia, Hiſpania,Germania,titulis ornat,in ſummã ſcribẽs nõ aliud ſentit. Vocat enim artem Æquiuocationũ, *prudentem defenſionem,* qua etiã vſus eſt ſumma cum impudẽtia & religionis cõtemptu, Prouincialis Garnetus in Anglia, quæ in artem à Martino Nauarro IC. libro hac de re in *illuſtriſſimæ Societatis Ieſuitarum gratiam* confecto redacta eſt.

At

At, En Æquiuocationũ in hac ipſa Declaratione ſpecimina, *Reges*, inquit *noſtri in Frãcia sũt Eccleſiæ primogeniti*. Regirę palpum obtruſiſſe tenuit: ſed patet fallacia, *in Francia Reges* dixit, non *Franciæ*. Si *Franciæ* dixiſſet, Regis Hiſpaniarum verebatur offenſam, quòd Regem noſtrum primogenitum aſſerendo reliquis Chriſtianis Regibus prætuliſſet. *In Francia* dicens, comparationem excludit, & intra regni fines, Regum prærogatiuam cõcludit. O Gallicæ iecur eloquentiæ, ſed quàm Hiſpanicum cor obtinet. Sic olim, vt Inſtitutorem Loyolam MagnoRegi commendaret, Regis ſubditum fuiſſe dictitabat, vt proinde Gallus fuiſſe exiſtimaretur. Sed ambiguæ vocis, ſi deprehenderetur, effugium erat in promptu, quòd Nauarrenus fuiſſet. Verum Regis ac patriæ proditorem fuiſſe, cùm Pompelonem aduerſus Regẽ Magni auum propugnaret, ſtudioſè ſubticebat: qua in obſidione vulneratus, & in extremam deſperationem coniectus, Monachatũ amplexatus eſt, vt iam mirum non ſit, ſi tot nobis periuros ac proditores perfidus ac proditor genuerit.

Quid de illis igitur ſtatuendum? Nũ vllus amplius ſupereſt hæſitationi locus? Illud præſentiſſimum remediũ fore, ſi obtriti vulneri, quod fecerunt, ſcorpionũ inſtar imponantur, meritò quis cenſeat: ſed ad mitiora vergimus. Quid obſtat, quò minus vim ſanctionémq; Arreſti veſtri perpetuetis? Quidni viuat vigeátq;. Secus & ipsũ & in ipſo vos dãnatis. Rei vos iniuriæ, inſontes illi? An dũ crimen & audacia ſceleſtiſ-

ſimorum gliſcit hominum. Vos, quibus Reipublicæ cura, ne quid detrimenti capiat credita eſt, tanquam capite minuti legum neruos incidi patiemini? Exemplum veſtrum Chriſtianorũ ad vltimas vſque oras Europæ, Reſpublicę ſunt imitatæ, Germani, Pannonij, Veneti, ſuis illos exegerunt finibus, nobilitatis honore & priuilegiis de illorum reuocatione verba facientem, & poſteros ſpoliari quantumlibet Roma vrgeat, quæ proximiùs abeſt, magis idcò meruenda, prudentiſſimus ille Senatus nominatim ſanciuit. Quod prouidenter in futurum cautum eſt. Quo dum enim damno præ nobis illos affecerant? Cui mirum videbitur, ſi iam in flagranti facinore, quod præter commune parricidij nomen, proprium non inuenit, illud exequimini? Quis nõ poti⁹ miretur, quòd in hac ſuſpenſi cauſa, cùm aliis olim præiueritis exẽplo, nunc de iure veſtro decedatis, cum vicinis, ad ſaluberrimam cautelam remotiſſimis, minùs ægris vſui lex veſtra fuerit, nunc vos in horum temporum neceſſitate, deſtituat?

Enimuerò quid deinceps expectandum? Quod ſanies in vulnere, idem illi inter nos ſi tolerantur, efficient, cruciatus nouos, nouas clade Increſcere. ſi caro videbitur, & cicatrix obduci? dira & vbique peſtilens, præter quàm in Hiſpania lues; iam humore corrupto abſceſſum formauerit. Vnde tumor, inflammatio, febris, vlcus ſi tantillum ſaniei ſuperfuerit, recrudeſcet malum. At ſi ſemel ſimúlque eluatur, vt eadem caro ſumus & ſanguis, illicò ſolida ſubſeque-

ſequetur ex facili, cocũtibus oris, vulneris glutinatio. At tantam, vnius ob flagitium, pellere ſocietatem durum id nimis? Quin hæc demum eſt abſurda principij petitio. Etenim non ſceſtus ille ſed ſocietas, ſocietatis doctrina, Conſilium, conſpiratio ictum inflixit. Iam præiudicatum eſt, ſi in Caſtelli cauſâ, nunc potiori multo ratione. quid tantæ immanitati par ad totius gentis eiectionem Iudæi, quid ad totius ordinis excidium Templarij vſpiam patrauerunt? Verùm quid literis fiet, quos digniſſimè docent? quò ſtudioſa mittetur iuuentus? obiicit non nemo. Equidem ſi es idiota ignoſco. Quum primùm pedem in Franciam intulere, annon florebant Academiæ? num tot præclari, quos annorum L. ſpatio tulere viri, qui totam Europam nedum patriam cohoneſtarunt, ab his hominibus fuerant inſtituti, num ad iſtorum Effičti methodos? Sanè ſi quemadmodum Caroli magni tempore Scoti appulerunt, Venalem clamantes ſcientiam, non alio conſilio, non aliis ſeſe implicantes negotiis aduentaſſent, optato, etiamſi doctiores eſſet eligendi copia, veniſſe cenſerentur. At etiamnum non animaduertimus, quod latini ſermonis obtentu, impuriſſimè Gallicæ iuuentutis mores ingenuos fœdant, bonarum literarum prętextu peſſimas edocent artes, dum ingenia excolunt, animas perdunt, atque ætatis flexibilis ſtudia paulatim refingũt, vt totidem nobis hac ratione de ſuis collegiis colonias Hiſpanicas efforment. Quæ ſanguinis in maſ-

ſam refuſæ, totum regni corpus malignis impreſſionibus demutent. Quàm præſtaret latinas nunquam didiciſſe literas, nec vllam præter patriam callere linguam! Verum excipit ſuperſtitio, diuinum Ieſu nomen pellere, ſacrum impugnare montem, nunquid grande nefas? Quot deuotiones, confeſſiones cum ipſis eiicientur? Quin ars, quot deuoti? Deuotos dixit antiquitas qui vitam in alicuius necem, & in atrocia facinora deuouebant. Quę apud ipſos præ iſta inſignis eſt deuotio? non quod ipſi rem exequantur, ſed quòd alios ſibi cauentes, impellant & inducant. Deuotorum huiuſcemodi iacturam facere, lucro an dāno deputabitur? Quod ſi ſanctitatis argumenta petitis expreſſiora, in Indias ablegabimini, vbi martyres, vbi miracula, quę non capit infelix occidens, in quo non alios cudunt martyres quàm Caſtellos, Rauaillacos, Patres Garnetos, Guignardos, Gueretos Regicidas, regnorum Incendiarios, non alia miracula, quàm ſeditiones, conſpirationes, ſulphureas molitiones, lanienas. Qui noſtro in orbe nonniſi cæde ac ſanguine paſcuntur, adeo deliramus vt mortuos alibi gentium ſuſcitare, ægros ſanare, exiſtimemus? Quod ad confeſſiones attinet, ſocietatis, imò potiùs coniurationis præcipuum neruum, quis neſcit eas Mahumetani Senis illius Montani technam eſſe recoctam? Hoc vnum inteeſt diſcriminis, quòd ille, vt ſuorum, ac Principum Chriſtianorum in terra ſancta cædes, animos obfir-

obfirmaret, potione quadam ſopitos, in certum transferebat locum, profani libaturos Paradiſi delicias, vt capti guſtu voluptatis gaudia reddituram mortem, cui ſeſe alicuius necem adgredientes addicebant, aſpernarentur. Iſti verò quàm aſtutiores, (vt proficit in veteratoria ſeneſcendo Satan) cùm per confeſſiones immania elicuere ſcelera, æternarum miſeros horrori pœnarum mergunt, ac ceu furiali flagello in Meditationum conclaui, ſenſum inferorum incutiunt, mox vbi mentem excuſſere, nobile aliquod ſcelus, vnicum flagitij proponunt obſtupefactis piamentum, vt peccatum crimine, inceſtus expietur parricidio, quo non modò ſupplicio eximantur, ſed etiam, ſi regem, ſi principem obtruncauerint, pro rei geſtæ magnitudine, virtutis ac meriti præmium, Angelis aut Archangelis exæquati, conſequantur. Idcirco non ſine pompa ſacro accingunt deuotũ cultro, quem Gedeonis, Dauidis, Iudithæ gladiũ nuncupãt, quẽ vbi accepit, ſuſpiciunt, colũt, mirantur venerãtur, iã in Dei figuram & gloriam tranſiiſſe perſuadent. Nunquid aſtum Saracenicum auxere? multò Mu-hamedano illo ſæuiores iſti cum tali dolo nonniſi aduerſus hoſtes, & vt arbitrabatur, infideles vteretur ille: Iſti verò, quid rerum moliarur infidelis ſusque déque habentes, aduerſus Chriſtianos & iure ſingulari Reges ſacros, Reges etiam Chriſtianiſſimos, vt eos orbis Chriſtianus inter catholicos appellandos cenſuit, nefarias illas ſuas artes exerceant. Denique prudentiæ prætextu mera obiicit malignitas,

Tantum in corpus impingere minimè tutum eſt. Qui nuper S. S. prætendebat reuerentiam, nunc potentia territat? Terrebunt nos ſcilicet ducenti aut trecenti per regnum diffuſi pædagogi, qui non Reipublicæ noſtræ, non Prouinciæ, non Vrbis, non familiæ partem vllam conſtituunt? Qui proinde ſine vllo ſenſu doloris auelli poſſunt. Vos à iuſtitiæ ſacris ne Regi noſtro parēretis, in tam atroci ſcelere deterrebunt. Quò priſtina, Patres, Virtus quæ vel Cerberum Iuriſdictionis iter incursātem proculcabat, cuius fiducia bonus ille rex, non hominum, ſed Dei iuſtitiā adminiſtrari in adminiſtrantis infirmitate ſemper Omnipotentis, dicere ſolebat. Eandem ſibi Patres de vobis hodie pollicētur omnes, quam neceſſitas, acerbiſſimus & iuſtiſſimus dolor excitare, redintegrare, duplicare videntur. Verùm vt toti Reipublicæ priſtinus reſtituatur vigor, agite vobis voſmetipſi priſtinos ſpiritus, quin voſmetipſos reddite. Arreſtum executioni mandando, ſenſum reddi, motum redire conſtet. Neque vos horum hominum fautorúmque fraudes morētur. Omnium hęc vna vox, qui verè Franci, qui germanè Catholici. Agri, Vrbes, Artes, Magnū, cuius vigebant virebant beneficio, Regem deſiderant, Iuſtitiæ litari, cum gemitu efflagitant. Defenſorem Eccleſiaſticus Ordo, Ductorem Nobilitas: Liberatorem Populus, Inſtauratorē Reſpublica, Protectorem pars Europæ integerrima, Honorem Sāguinis noſtri Principes, Ordinis ſui Principem Exteri Principes depoſ-

çunt,

cunt. Omnia in hæc ſupplicia cõſentiunt. Eiulatus, ſurdum murmur, horribile ſilentium, non alias premunt voces. Terra denique, quæ ſacrum Sanguinem petrà, vt Prophetes inquit, excepit, non texit, vindictam contentiſſimè cœlum poſcit. Cœlum exaudiit. Id vobis negotij dedit. Non aliter Regis minoris annos ſupplere, Reginæ lacrymas ſolari, vitam Henrici Magni deſiderare triſtem lugere obitum, celebrare exequias, Æternæ magnum conſecrare poſſitis memoriæ. Hæc demum Patres, Ampliſſimi veſtri ordinis vnica dignitatis eſt tuendæ ratio.

Patres Patriæ Si Avdire vvltis, Parenti Tanto Alia Ratione Parentare Vere Non Possitis, Qvod Foelix Favstvmqve Sit Amen.

FINIS.